









DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

METHODO 1770/71a
SPASMIS MEDENDI
GENERATIM.

QVAM
INDVLTV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA
P R A E S I D E

D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO

FACVLT. MED. SENIORE EIVSDEMQUE H. T. DECANO

PRO
GRADV DOCTORIS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

DIE VIII. DECEMBR. MDCCLXX.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CASPARVS HENRICVS BENNECKE
MAGDEBVRGICVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
LITTERIS IOANNIS CHRISTIANI HENDEL.



DEPARTMENT OF MEDICAL MEDICINE
THE
METHUEN
S. P. SMITH MEDICAL
GENERATION

BY
DR. THOMAS ADOLPH BOHMANN
M.D.

NEW YORK
G. P. PUTNAM'S SONS
1895

NEW YORK
G. P. PUTNAM'S SONS
1895





§. I.

Spasmi notio.



Egaudent musculi facultate, ut sese queant, ob
suscitatam vim ipsis insitam, viuide et cum quo-
dam quasi impetu contrahere. Oriuntur inde
motus praecipui musculares tam voluntarii,
quam inuoluntarii. In quibus, si sani sunt, considerandis, siue
celeritatem ipsorum spectes, siue frequentiam, siue intensita-
tem, siue ea demum, per quae nonnulli diriguntur, animi iussa,
siniibus eos, a natura nobis praescriptis, ad amissim respondere,

A

ob-

obseruabis. Verum defleunt non raro a fanitatis legibus sic, vt, anima nolente, certe non praecipiente, aut celeriores, aut frequentiores, aut intensiores euadant. *Spasnum* tunc obtinere dicimus. Atque de his, qui intensitate excedunt, quod spasmi sint, nemo dubitabit. Quod his autem motibus, qui celerius tantum frequentiusue eueniunt, spasmodum impertiatur nomen, non adeo id facile ferent hi, quibus, ei sententiae aduersa, adamata systemata placent. Quodsi interea perpendatur, easdem fere, quae spasmos concitant, causas musculorum etiam motus aut crebriores efficere aut celeriores; spasmodis eos frequenter, quos dixi, motus intermisceri; non constare proprium, quo saluari possent, nomen; GAVBIVM denique, magnum virum, non obscure istos ad spasmos ablegasse (1): nec fundamento, nec auctoritate mea mihi destitui sententia videtur. In vulgari tamen spasmo considerando hic acquiescam.

§. II.

Spasmus trifariam dispefcitur.

Nascitur spasmodus *vel* sic, vt rigor, parti muscolari inductus, per notabilis saltem tempus duret, *vel* ea ratione, vt, quibusuis breuibus, in quae spastici paroxysmi tempus diuidi potest, interuallis, ab vno ad alterum antagonistam transeat, *vel* eo demum modo, vt neutrum obtineat. Hic *spasmodus*, ille *convulsio*, iste *tetanus* vocatur.

§. III.

(1) Inffit. path. medic. p. m. 299. §. 751.

§. III.

Vis insita muscularis unde?

A vi insita musculorum (2) cum spasmi proficiscantur (§. I.): manifestum est, causam istius potentiae naturalem homini, ad concipiendos spasmos, dispositionem inferre. Atque in illa considerata, quantumvis obueniant, quae illuminari nequeunt, offerunt tamen sese quaedam, quibus lux adfundi potest. Enim vero obseruamus, minimis etiam, qui sensus nostros incurrunt, fasciculis muscularibus vim istam insidere; ut ideo exploratum sit, eandem fibrillis quoque muscularibus, quas ratio potius, quam oculus videt, inesse. Praeterea ab omni alia parte solida, siue os ea fuerit, siue cartilago, siue tela cellularis, siue neruus, siue alia quaeuis (3), abest. Quapropter causa illius repeti debet ab eo, quo muscularis fibrilla ab omni alia differt, discrimine. Verum hic Rhodus, hic saltus! Nonnullis *nerui* in ea re placent. Atque certum est, quod nerui ad quemlibet muscolum tendant, sicque per eundem disseminentur, ut, si quid unquam, id certe a veritatis specie minime absit, quod dispersae in musculo fibrillae neruae sese, cum fibrillis muscularibus, ratione quidem, quae nos fugit, in solos vero musculos cadente, coniungant. Obseruatur etiam frequenter, quod, a neruis laesis, vis musculorum insita emoriatur, quodque idem

A 2

fieri

- (2) Vim insitam musculi a neruosa adhuc distinguit HALLERVS. Non disputabo ea de re. Essentialis certe differentia assumi nequit.
- (3) Licet GAVBIUS crediderit, omnibus competere (l. c. §. 175.)

fieri soleat ab usu remediorum, quae neruorum vim, nimis quidem potenter, frangunt. Neruina denique remedia aliaque, quae neruos concutiunt, sicque paralyfin tollunt, animi pathemata, scintilla electrica et plura eam videntur, quam dixi, sententiam confirmare. Non leuiores tamen sunt, quae ei obstant argumenta. A neruis natura irritabilis abest; oriuntur quandoque, neruis integerrimis, paralyfes, ab alienata musculi structura repetendae; dantur exempla grauiorum, in neruis factarum, laesionum, quas musculorum non alteratus motus comitabatur; augetur interdum, eo ipso tempore, musculorum quorundam motus, quo nerui languent; quandoque demum paralyfis, a neruo potenter affecto, lentius tantum infertur. Factum inde, vt multi eius potentiae causam, praecunte HALLERO, in *glutine musculari* quaesierint. Videntur huic sententiae ea, quae passim hucusque commemorauimus, fauere. Videtur quoque gluten musculare, ab eo aliarum partium, differre. Chemica quidem musculorum analysis miscibilium particularum differentiam nondum edocuit; attamen, cum musculis definitus insit cohaesionis gradus, copia sine dubio glutinis, quod residet in musculis, eiusque fluiditas naturae musculari sic respondent, vt hinc verum fibrillae muscularis, in se spectatae, a reliquis fibrillis discrimen proueniat. Videtur porro natura summe irritabilis quorundam animalium simpliciorum, quae ex glutine fere solo constare iudicauit HALLERVS, eam sententiam fulcire. Nec displicebit forte philosophis, qui actiones corporum ex compositionis

nis

nis modo deriuandas esse censent; atqui gluten musculare (cum terreae musculorum particulae nec a reliquorum solidorum terris differre, per hucusque instituta experimenta, visae sint, nec etiam possit, si differrent, vis istis muscularis, adeo a reliquis diuersa, natales suos debere) solum superest, quod musculos, si sibi relictis spectentur, ab omnibus aliis solidis distinguit. Neque tamen haec, quae dicta sunt, omni exceptione maiora, censi debent. Dantur enim paralyfes, non mutato glutine musculari, ortae; dantur remedia, quae vim musculorum insitam alterant, quibus vero facultatem, gluten musculare commutandi, vix queas tribuere; datur demum gluten quidem inter musculare atque illud, quod reliqua solida constituit, differentia quaedam, quam tamen vix tantam aestimabis, vt vis, adeo a reliquis diuersa, suam inde originem sumere possit. Quae omnia si accurate perpendantur, suspicionem mouent: annon vis musculorum insita a coniunctis forte vi neruea et natura glutinis muscularis exoriatur? Sic sane phaenomena, quae commemorauimus, quam optime explicantur, atque, vires inter humani corporis, nexus quidam cogitur, quem alias natura amat.

§. IV.

Vis neruea consideratur.

Vis neruea (§. ant.) singularem attentionem meretur, vt pateat sententia, quae nobis, in tanto physiologorum discrimine, a veritate quam minime abesse videtur. Cuius vero potentiae

tiae si causam spectes: solida sese neruorum substantia sponte of-
 fert; ad quam, si illam reuocare velis, mobilitatem quandam
 fibrillis nerueis concedere te oportebit, quae ad actum deducta,
 in motum abit particularum, seu intestinum, cum nullo alio, quan-
 tum videmus, quam tremulo, comparandum. Is ipse autem non
 nisi in elastica corpora cadit, quibus solida neruorum substantia
 ideo adiungi nequit, quod mollissima est, atque, vel solutis tan-
 tum filis cellulosis, fibrillas nerueas coniungentibus, diffluit (4).
 Quodsi, his licet ita comparatis, ea tibi nihilominus sententia pla-
 ceat: confugere te oportebit ad aliud corpus, quod, neruis in-
 existens, hos sic dirigat, vt ipsis dispositio, ad concipiendum mo-
 tum tremulum, inferatur. Atqui id nec solidum esse potest, nec
 crassius liquidum (5). Erit ergo *fluidum nerueum*. Atque de
 huius praesentia vix dubitabis, si cogitaueris, viscera, quae alias
 corpori insunt, vel praeparando sanguini, vel secretioni liquidi
 cuiusdam, vel vtrique momento inferuire, cerebrum vero, ob
 connatam debilitatem, sanguinem commode praeparare non pos-
 se; sique perpendas, esse remedia, quae vim nerueam mirifice
 mutant, et tamen nullam, quae congrue ideo assignari posset,
 actionem, in solidam neruorum substantiam, exerunt. Neque
 vero censendum, vim nerueam, a solo liquido nerueo repeti de-
 bere, quam quidem sententiam plurimi sine mora amplectuntur,
 quando liquidi istius praesentia ad probabilitatem euecta est.
 Enim

- (4) Testante HALLERO (Elem. Phys. C. H. Tom. I. pag. 17).
 (5) Lympha nempe, in cellulari neruorum secreta.

Enim vero fibrillas nerveas, in quantum solidae sunt, nisi respicias: remediorum quorundam, relaxantium exemplo, salubres in doloribus effectus commode fatis explanare non poteris.

§. V.

Confectarium.

Videtur ergo liquidum nerveum, si fibrillis nerveis inexistit, sensibilitatem producere, vim vero *insitam* efficere, quando fibris muscularibus, nervis mediantibus, instillatur (§§. III. IV.).

§. VI.

Causae spasmorum.

Quare vis insita causa erit disponens spasmorum naturalis et communis (6); augmenta vero, quae vel vis insita, vel stimuli, nobis inexistentes, sic cepere, ut, sub sanitatis ea latitudine adhuc contineantur, semina sistunt spasmorum naturalia et propria (7); prouti ea ipsa augmenta, si sanitate vere maiora sint, ad semina praeternaturalia (8) referri merentur. Occasionales spasmorum causae multiplices sunt; omnes tamen in eo conveniunt, ut vel vim *insitam*, vel stimulos, eam sollicitantes, augeant. Causa demum proxima spasmorum erit irritatio muscularum involuntaria simulque aut fortior, aut frequentior, quam leges sanitatis ferunt (§. I.). Huius itaque causae gradus diversi

(6) GAVBIUS l. c. pag. 313. §. 609.

(7) IDEM l. m. c. §. 611 seqq.

(8) IDEM l. m. c. §. 617 seqq.

diuerſi ſpasmus, conuulſiones, tetanos efficiunt. Nos uero in fortiore irri- tatione acquieſcimus (§. I.).

§. VI.

Symptomata ſpasmorum uergentia.

Dantur ſpasmorum, ſi generatim ſpectentur, ſymptomata, quae *uergentia* dici poſſunt, quaeque uel aegro maximum incommodum creant, uel periculum uitae inferunt, uel optimam demum ſpasmorum medelam impediunt. Dolor magnus, congeſtiones ad uitalia uiscera enormes, tumores inflammatorii, ceſſatio demum ſenſuum internorum et externorum debent generatim huc referri.

§. VIII.

Sequela ſpasmorum eorumque reſuſus.

Supereſt, ut addamus, ſpasmus in partibus, quas afficiunt, debilitatem demum relinquere, facileque recurrere. Debilitas quidem enaſcitur a ualida contractione fibrarum muſcularum; reſuſus uero ſpasmorum, ſiue nunc periodicus fuerit, ſiue minus, debetur aut debilitati partium, aut etiam relictae cauſſae, quae ſpasmus antea ingenerauerat.

§. IX.

Remedium antiſpaſticum quid?

Poſſet *remedium antiſpaſticum* nominari omne id, quod ſpasmus medetur. Verum enim uero eius farinae remedia cum cauſſis ſpasmorum modo remotis, modo proximis obuiam eant: illis excluſis, ea tantum *antiſpaſtica* proprie uocantur, quae ſpasmus,

mos, remouendo proximas illorum causas, tollunt minuuntue. Quo ipso tamen negatur minime, posse remedia antispastica remotis simul spasmodum causis plus minus aduersari, atque vsum eorum vniquam nociuum esse. Id certe plus vice simplici contingit. Quae vero omnia vt pateant: indicationes, in cura spasmodum obseruandas, formare nos oportet atque exactius considerare.

§. X.

Regulae methodi spasmi medendi generales.

Essentia spasmi, quem consideramus (§. I.), in eo latet, vt, ob fortiorem irritabilitatis actionem, naturali in eo maior adfit inuoluntaria fibrarum muscularium contractio, seu *tensio*. Medentem itaque spasmo hanc minuere, tollere oportet. Sed sunt quoque symptomata, spasmos quandoque comitantia, quae urgent, vt congestiones ad viscera vitalia, dolores nimium exacerbati, syncope, aliaque (§. VII.). Quibus itaque non minus obuiam eundem. Spasmi denique partes, quas afficiunt, debilitant, facileque recurrunt (§. VIII.). Quod ergo debilitatis partibus robur addendum spasmi que recursus praepediendus veniat, nemo non videt.

§. XI.

Indicatio prima.

Tensio partium, a spasmo affectarum, imminuitur (§. anteced.): (1) quando *caussa spasmi proxima tollitur*. Quae

B

enim

enim causa cum rationem sufficientem tensionis nimiae contineat: sequitur, illa remota hanc etiam evanescere. (2) Si *causae remotae spasmodum abigantur*. Enim vero causae morborum remotae excludunt causam eorum proximam. (3) Quando *cauetur, ne novae causae spasmi remotae succrescant*, quod, in tanto rerum nocentium numero, nimis facile contingit.

§. XII.

Expenduntur remedia, quae causae proximae medentur.

Si proxima spasmi causa perpendatur (§. VI.), cumque illa conferantur ea, quae §§. III. IV. exposita leguntur: non nisi haec possunt remedia antispastica (§. IX.) cogitari, quae dicam. Spectant ergo huc ea, quae (1) fluidi nervi actionem imminuunt (§. IV.). (2) intensiorem fibrarum nervearum motum nimiamque nervorum mobilitatem tollunt (§. cit.). (3) glutinis muscularis cohaesionem vel augent, vel imminuunt (§. III.). Sequitur, ut istorum remediorum actionem paullo accuratius expendamus.

§. XIII.

De imminuenda fluidi nervi actione.

Quamquam fluidum nerveum, summa tenuitate praeditum, suam exserit, ob innatam *elasticitatem*, actionem; attamen in hac explicanda, non praedicta solum eius qualitas, sed *quantitas* quoque attendi meretur. Vel ipsa enim nos docet experien-

rientia, quod, qui insigni gaudent laudabilium humorum copia, reliquis sint sensibiliores, quodque plus minus magnum sensilitas decrementum patiatur, si minuatur fluidorum optimorum quantitas, his recte restitutis recurrens. In primis autem ex obseruationibus, a statu morbofo sanoue desumptis, colligi potest, *constantiam* sensilitatis et durationem a copia fluidi neruei pendere, cum equidem in his, qui eius defectu laborant, non raro *viuidior*, minus tamen *constans* toleat sensilitas obseruari. Quae cum ita sint, medela spasmi, per imminutam fluidi neruei actionem impetranda (§. anteced.), poterit duplici ratione perfici, imminuendo nempe *vel* copiam fluidi neruei, *vel* eius elasticitatem. Illud efficiunt corpora quaeuis ita comparata, vt impediunt, quo minus largior fluidi neruei copia secernatur, quorsum temperantia, deriuantia atque illa referri debent, quae sanguini maiorem inertiam inducunt. Nitrosa ergo, lumbrici terrestres (9), emulsiones, lac, sera lactis, balnea, mucilaginosae, laudem ideo me-

(9) Multi certe sunt, qui animalculis hisce nitrosam substantiam tribuunt. Vt vnico tantum exemplo vtat: dixit de illis STAHLIVS praeter substantiam illam, quam e terrae tenuiori limo deuorant, salina nitrosa quoque substantia pro alimento delectari — confirmat hoc tanto magis salina nitrosa substantia, velut immediate ex ipsis per artem obtinenda et colligenda. Vid. EIUS Dissert. de lumbr. terrestr. eorumque vsu medico. pag. 7. Confer. etiam PAVLLINI Tr. de lumbr. terr. pag. 22. et optimi iuuenis, praematura nimis mote abrepti, Ioan. Ernesti STAHLII Dissert. inaug. de nonnullis

rentur atque attentionem. *Hoc* perficiunt: opiata (10), crocus (11), castoreum (12), moschus (13), olea empyreumatica (14), asa foetida (15), camphora (16) eique simile oleum caieput (17), flores sambuci (18), hyoscianus (19), stramonium (20), belladonna (21), cicuta (22), amara quaedam corpora (23). Videtur no-
bis

nullis momentis ad curat. epilepsiae spect. Hal. 1768. Fatendum interea, vix videri nitrum tantae posse efficaciae esse, quanta lumbrico terrestri assignatur.

(10) TRALLES *Tract. de opio. Illustr.* EBERHARDI *Diff. de act. narcot. in fl. nervi.*

(11) TRALLES *l. c. Sect. I. pag. 113. 114.* VOGEL *Histor. mat. med. pag. 150. 151.*

(12) VOGEL *l. c. pag. 351. 352.* TRALLES *l. c. pag. 114.*

(13) VOGEL *l. c. pag. 355.* TRALLES *l. m. c.*

(14) Notissimo hysteriarum femellarum exemplo.

(15) Non obstante etiam vi roborante, quam in paralyti exferere potest. Vel enim aromata aliaque corpora fragrantia, quae roborant, somnum debilitatemque nerveam inducere possunt, sanguinem etiam minime ad caput congerentia.

(16) TRALLES *l. c.*

(17) Accedere enim id ad naturam camphorae inter omnes constat.

(18) VOGEL *l. c. pag. 154.*

(19) LUDWIG *Aduersf. med. pract. Tom. I. pag. 113 seqq.*

(20) IDEM *l. c. pag. 336 seqq.*

(21) IDEM *l. c. pag. 709.*

(22) Suadere id videntur STOERCKII experimenta, si comparentur cum foetore plantae.

(23) STENTZEL *Diff. de anodyn. virtut. venenor. Viteb. 1735.*

bis volatile, quo singulari ea corpora scitent, principium ad nervei liquidi tenuitatem accedere, hinc in nervos agere atque dote, quam exacte determinare non possumus, fluidi nervei vim, ab eius elasticitate provenientem, infringere. Quantum etiam observationes ostendunt, non semper opus est, ut praedicta corpora, si eorum exferenda sit actio, massam sanguineam ingrediantur, forte plerumque nervos solum ventriculi immediate afficiunt.

§. XIV.

De infringenda solidae nervorum substantiae actione.

Ei obuiam eunt: (1) remedia, quae eam fortiozem immi-
nuunt, quorsum, praeter haec, quae §. antec. commemorat
(§. IV.), spectant *relaxantia*, tensioni nimiae aduersa (§. seq.).
(2) quae motus nervorum *aliunde dirigunt*, i. e. nervos sic affi-
ciunt, ut, fortiori licet eorum actione producta, sopiatur tamen
is motus, qui praesentem definitum effectum produxit. Huc
emetica, irritantia fortissima, animi pathemata, interque haec ter-
ror in primis, referantur necesse est (24). (3) quae *nimiae nervo-
rum mobilitati* aduersantur, i. e. nervis tribuunt facultatem, ut
ne a leuissimis stimulis in abnormes rapiantur motus. Id perfi-
ciunt nervina et roborantia dicta, china, mars, cascarilla, mil-
lefolium, chamomilla, acida mineralia dulcificata, fuccinum,

B 3

non-

- (24) Notissima est curatio epilepsiae, a BOERHAAVIO praestita.
Notum quoque est, emetica, terrorem, vesicatoria fortiora, sustu-
lisse febrium intermittentium paroxysmos.

nonnulla volatilia (§. anteced.), amara varia, vna vrſi, viſcum quercinum (25), valeriana, folia aurantium, et plura. Reſtituto enim in neruis robore, fit, vt ſtimulis fortius reſiſtant. Docent id quam optime ſaluberrimi neruinorum ac roborantium effectus, quos, in tollendo malo hypochondriaco et hyſterico, a teneritudine maxime nimiaque ſenſilitate proueniente, exſerere ſolent, omnibus ideo dilaudata.

§. XV.

De augenda et imminuenda glutinis cohaeſione.

Superest, vt de augenda imminuendaque glutinis cohaeſione diſſeratur (§. XII.). *Augent* eandem: (1) corpora ſpecifice grauiora interpoſita, vt martialia. (2) ea remedia, quae facultate gaudent, ſerum ſanguinis coagulabile condenſandi, ſpirituoforum exemplo. (3) quae neruos fibrasque muſculares irritant, ſicuti aromata, ſpirituofa aliaque. (4) quae, mechanica vi, elementa propius ad ſe inuicem pellunt, vt ligaturae. (5) quae cauſſis tenuitatis, in glutine praesentis, reſiſtunt. *Minuunt* glutinis cohaeſionem contraria his, aquoſa, oleoſa, mucilaginofa, calor non ficcans, aliaque (26).

§. XVI.

Cautelae in antiſpaſticorum uſu obſeruandae.

Quamuis medela morbi, quae uſu remediorum, cauſſae eius proximae reſiſtentium, abſoluitur, optima vulgo iudicetur,
at-

(25) CRANTZ mater. med. et chir. III. pag. m. 89.

(26) LVDWIG Therap. gener. Part. IV. Cap. I. II.

attamen, in vſu horum remediorum, quae deſcripti (§§. XIII. ſq.), cautelas merito obſeruandas eſſe nemo non videt. Enim vero (1) heroicis numquam, niſi in neceſſitatis caſu, vtendum. (2) a minima eorum doſi incipiendum, ni aliud quid obſtet. (3) cauendum, ne cuiſmodi facile remedia antiſpaſtica eligamus, quae cauſſam ſpaſmi praeſentis antecedentem adaugent. (4) de hac potius ſimul remouenda maxime ſolliciti ſimus, atque ideo (5) eo adnitendum, vt iſta maxime remedia ſeligantur, quae imminuendae tollendaeque non proximae tantum ſpaſmi cauſſae, ſed antecedenti etiam inferuiunt.

§. XVII.

De cauſſis remotis ſpasmorum proſtigandis.

Atque haec, quae dixi (§. XVI.), cauſſas ſpasmorum remotas cognitae eſſe ponunt, quae reuocantur a medicis ad repletionem, inanitionem, irritationem. Cauſſae *replentes* ſunt: plethora, abundantia aliorum liquidorum, congeſtio, orgaſmus ſanguinis, ſpiſſitudo humorum, cruditas primarum viarum. Vafa *deplentur* inedia diu protracta ac excretionibus ſanguinis aliorumque liquidorum nimium excedentibus. Cauſſis demum *irritantibus* adnumerantur: irritatio immaterialis, acre humoribus in-exiſtens, primarum viarum irritatio ab acri ſimilique re facta, acre denique mechanicum, neruos fibrasque muſculares irritans, vt vermes, calculus, os atque his ſimilia.

§. XVIII.

§. XVIII.

Repletio corporis.

Repletio (§. anteced.) itaque tollitur his, quae (1) *sanguinis copiam imminuunt*, venae sectione nempe, hirudinibus applicatis, scarificatione. (2) *Suppressas languentesque excretionis serosas restituant et augent*, cutaneam maxime, quae externis emollientibus, diaphoreticis internis promouetur. Quandoque tamen opus est, ut et alia excretio, aluina praecipue, adaugeatur. (3) *deriuant et discutunt*. Epispastica, clysteres, laxantia, emetica, diapnoica, balnea, frictiones, roborantia, cum resoluentibus coniuncta, hic maxime nominari merentur. (4) *Antiphlogistica virtute pollent*. Nitrum hic, vegetabilia dulcia, acida, serum lactis acidum, emulsiones, emollientia, camphora, passimque euacuantia sanguinem aut roborantia locum sibi vindicant. (5) *spissum viscidumque, sanguini inexistens, soluant*. Nitrum ideo, camphora, aqua aut destillata aut pura communis, cum melle, syrupis, saccharo, succoque fructuum horaeorum remixta, acida diluta, serum lactis acidum, sales medii, terra in primis foliata tartari, tartarus tartarizatus, sal ammoniacus, cicuta, aconitum, oxymel colchicum, tincturae alcalinae saponaceae factae, arnica, gummi ammoniacum, scilla pluraque alia, iunctis quandoque euacuantibus, commendantur laudanturque. (6) *Euacuant primarum viarum cruditates*, quorum emetica, laxantia, clysteres, interpositis quandoque resoluentibus et emollientibus, referri debent.

§. XIX.

§. XIX.

Depletio vasorum.

Quando *depletio* vasorum spasmorum causa existit, efferarum haemorrhagarum febriumque lentarum exemplo: eo adniti medentem oportet, ut (1) corpus optimis nutrientibus repleat, qualia maxime sunt iuscula iuniorum animalium. (2) causis obuiam eat, quae depletionem vasorum inducere. (3) analeptica in usum vocentur. Numquam vero facile ea in usum remedia sunt trahenda, quae ambigua sunt, ut opiata, volatiles sales aliaque corpora volatilia.

§. XX.

De tollenda irritatione.

Restant causae *irritantes* (§. XVII.). Irritatio *neruorum immaterialis* tollitur passim remediis supra adductis (§§. XII. sq.). Nonnumquam magnes conducit, atque neruorum vel integrorum, vel semilacerorum plenaria solutio, ferro, igne, caustico impetranda (27). *Acre morbosum, fluidis inexistentem* generatim diluentia et obuoluentia postulat, euacuantibus congruis interpositis (28). Dantur quandoque remedia, singulari acri opponenda, scorbutici et venerei exemplo. Interdum etiam nec euacuan-

(27) TISSOT Epistol. ad ZIMMERMAN.

(28) LUDWIG l. c. Part. III. Cap. IV. pag. 47 seq.

quantibus opus est, cum analeptica, stimulantia ac roborantia, praesente debilitate, euacuationem impediente, sufficiant, ut acris excretio praestetur. *Irritatio ista, quae in primis viis accidit* (§. XVII.), postulat remedia §. XIX. n. 6. adducta; anthelmintica, si vermes adfuerint; opiata quandoque et obuoluentia, gummi in primis arabicum, in aquis destillatis solutum, si irritatio a mucii defectu proueniat, intestina ac ventriculum, praesente sanitatis statu, obuoluentis. *Acre demum mechanicum*, quo calculus similiaque nocent, sibi vindicat: externa emollientia, balnea, clysteres, cataplasinata, inunctiones cum oleosis; educationem corporum nocentium, aut sectione, aut alia ratione perficiendam, opiata quandoque et usum vuae vrsi, aut aquae calcis cum sapone veneto, aliorumque remediorum, dolores minuendum, si calculus adfuerit.

§. XXI.

Regimen vitae.

Quamuis remedia, hucusque commemorata, eius sint indolis, ut, si remotis spasmodum causis, in singulari quouis casu, recte respondeant, spasticis affectionibus quam optime medeantur: attamen oportet eum, qui, sanandis spasmodis, operam dat, eo simul adniti, ut ne aeger quidquam admittat, quo noua spasmodorum causa exurgere queat (§. XI.). Huc iustam regiminis vitae moderamen maxime spectat. Quando vero causae spasmi re-

remotae adeo sibi inuicem oppositae esse conspiciuntur, vt fieri aliter nequeat, quin vnum idemque modo nocentis modo iuuantis vicem subeat: non licebit hic generaliores quasdam regulas stabilire, ea vnice excepta, quae praecipit, vt intellectis causis spasmorum remotis ea respondeat vitae ratio, quam medicus aegro commendat.

§. XXII.

Indicatio secunda.

Iubet indicatio, quae secundum locum, in medela spasmi, occupat, vt vrgentioribus spasmi symptomatibus obuiam eamus (§.X.). Atque dolor quidem (§. cit.) sistitur his remediis, quae diximus §§. XIII sq. opiatas maxime, vt tamen memor semper sis, quam facile fiat, vt haec ipsa remedia quandoque causam spasmi ipsumque spasmus exacerbent. *Congestioni enormi* medentur remedia §. XIX. n. 3. dicta; passimque haec *tumori* etiam *inflammatorio* (§. X.) opponi possunt, iunctis, si opus, topicis externisque discutientibus. *Sensuum in et externorum cessatio* (§. cit.) analeptica postulat atque irritantia, indicationi vitali destinata (29).

§. XXIII.

Indicatio tertia.

Cum de roborantibus, debilitati, a spasmo relictae, opponendis iam dictum fit (§. XV.): superest, vt ea, quae de

C 2

prae-

(29) IDEM l. c. Part. II.

praecauendo spasmodum recurfu dicenda sunt, addantur (§.X.).
 Latet recurfus huius ratio *vel* in debilitate, *vel* in vicio sensorii communis, semetipsum explicante (30), *vel* in vermibus primarumque viarum cruditatibus, *vel* in haemorrhagiarum naturalium aut artificialium turbis et neglectu, *vel* in alio contra rerum non naturalium vsum peccato, *vel* demum nouo remotarum generatim spasmi caussarum incremento. Quae ergo hic perficere medentem oportet, nemo non videt, atque vel ex his, quae exposita sunt, generatim intelligi possunt.

(30) SWIETEN Cap. de febr. intermitt.

T A N T V M.



Mon.

Monsieur,

Ce ne sont pas seulement, les liens de l'amitié sincère, ce sont encore des noeuds plus saints de l'affinité, qui attachent toujours mes vœux à VOTRE prospérité. C'est aujourd'hui, que je les vois redoublés aux applaudissemens d'un si grand nombre d'amis, qui s'empresent, de vous montrer la joie qu'ils ressentent en vous voyant récompensé du prix dû à VOTRE diligence, à vos études et à VOTRE capacité. Continûés de recueillir les fruits, que vos mérites et les souhaits des vos amis vous ont encore destiné. Mais n'oubliez point les devoirs doux, que vous devez à la mémoire de vos amis, dans le nombre desquels personne ne l'est, avec plus de sincérité, ni le sera avec plus de constance, que

Monsieur,

Votre très acquis serviteur

F. L. K Ü H N E.

PRAE.

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
SVAVISSIMO AMICO ATQVE AVVNCVLO

S. D.

I. C. F. SCHLVTIVS, IVR. CVLT.

Ea occasione, ubi mihi TVAE eruditionis testis esse contingit, ubique TE magno ardore in defendenda TVA dissertatione occupatum video, non solum humanitatis sed amicitiae etiam arctissimo necessitudinis vinculo coniunctae esse arbitratus sum, gratissimum meum meorumque fratrum erga TE animum munere gratulantis suscepto ostendere. Tutus sum ab omni adulationis suspicione, cognita enim sunt TVA assidua studia, quae in medicina collocasti, et quae felici successu nunc finita satis luculenter probasti. Gratulor TIBI AMICE SVAVISSIME, de summa in medicina dignitate, qua praemii instar TVA eruditio TVAque industria TE ornatum esse iubent, gratulor TVAE familiae ob ipsius amplitudinem valde splendidissimae, quae maximam ex TVO honore consequendo voluptatem laetitiamque percipiet. Volo atque ardentissimis votis opto, ut TIBI omnia quaevis in auxilio aegris praestando quam felicissime eueniant, nomenque TVVM magna medendi arte et auctoritate cognitum longe lateque celebretur. Doleo abitum TVVM, quo frequens nostrae consuetudinis atque familiaritatis usus interrumpitur, ast qui memoriam nostrae erga TE amicitiae nec imminuere nec delere potest. Vale saueque mihi meisque fratribus, nec nos amore illo, quem nobis largitus es, amare desine. Vale. Scr. Halae die VI. Nouembris M DD LXX.

Halle, Dän., 1770

V D
18

ULB Halle


3

002 169 55X



sb







B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE

METHODO
SPASMIS MEDENDI
GENERATIM.

1770, 9a

QVAM
INDVLTV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO

FACVLT. MED. SENIORE EIVSDEMQUE H. T. DECANO

PRO
GRADV DOCTORIS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS
DIE VIII. DECEMBR. MDCCLXX.

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

CASPARVS HENRICVS BENNECKE
MAGDEBVRGICVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
LITTERIS IOANNIS CHRISTIANI HENDEL.